

ICTA CATONIS (489 vers)

COLLECTIO DISTICHORUM VULGARIS (306 vers)

LIBER I

C1_ v.1 Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
 2 hic tibi praecipue sit pura mente colendus.
 3 Plus vigila semper neu somno deditus esto ;
 4 nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.
 5 Virtutem primam esse puto, compescere linguam
 6 proximus ille deo est qui scit ratione tacere.
 7 Sperne repugnando tibi tu contrarius esse :
 8 conveniet nulli qui secum dissidet ipse.
 9 Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
 10 cum culpant alios : nemo sine crimine vivit.
 11 Quae nocitura tenes, quamvis sint cara, relinque :
 12 utilitas opibus praeponi tempore debet.
 13 Clemens et constans, ut res expostulat, esto :
 14 temporibus mores sapiens sine crimine mutat.
 15 Nil temere uxori de servis crede querenti :
 16 semper enim mulier quem conjunx diligit odit.
 17 Cum moneas aliquem nec se velit ille moneri,
 18 si tibi sit carus, noli desistere coeptis.
 19 Contra verbosos noli contendere verbis :
 20 sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.
 21 Dilige sic alios, ut sis tibi carus amicus :
 22 sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.
 23 Rumores fuge neu studeas novus auctor haberi ;
 24 nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.
 25 Spem tibi polliciti certam promittere noli :
 26 rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur.
 27 Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento ;
 28 plus aliis de te quam tu tibi credere noli.
 29 Officium alterius multis naurare memento ;
 30 at quaecumque aliis benefeceris ipse, sileto.
 31 Multorum cum facta senex et dicta reprendis,
 32 fac tibi succurrant juvenis quae feceris ipse.
 33 Ne cures, si quis tacito sermone loquatur :
 34 conscius ipse sibi de se putat omnia dici.
 35 Cum fueris felix, quae sunt adversa caveto :
 36 non eodem cursu respondent ultima primis.
 37 Cum dubia et fragilis nobis sit vita tributa,
 38 in morte alterius spem tu tibi ponere noli.
 39 Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
 40 accipito laetus, plene et laudare memento.
 41 Infantem nudum cum te natura crearit,
 42 paupertatis onus patienter ferre memento.
 43 Ne timeas illam quae vitae est ultima finis :
 44 qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipsum.
 45 Si tibi pro meritis nemo succurrit amicus,

46 incusare deos noli, sed te ipse coerce.
 47 Ne tibi quid desit, quod quaesisti, utere parce ;
 48 utque, quod est, serves, semper tibi desse putato.
 49 Quod dare non possis, verbis promittere noli,
 50 ne sis ventosus, dum vir bonus esse videris.
 51 Qui simulat verbis nec corde est fidus amicus,
 52 tu quoque fac simules : sic ars deluditur arte.
 53 Noli homines blando nimium sermone probare :
 54 fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.
 55 Cum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos
 56 instrue, quo possint inopem defendere vitam.
 57 Quod vile est, carum, quod carum, vile putato :
 58 sic tu nec cupidus nec avarus nosceris ulli.
 59 Quae culpae soles ea tu ne feceris ipse :
 60 turpe est doctori, cum culpa redarguat ipsum.
 61 Quod justum est petito vel quod videatur honestum ;
 62 nam stultum petere est quod possit jure negari.
 63 Ignotum tibi tu noli praeponere notis :
 64 cognita iudicio constant, incognita casu.
 65 Cum dubia in certis versetur vita periculis,
 66 pro lucro tibi pone diem quicumque sequetur.
 67 Vincere cum possis, interdum cede sodali,
 68 obsequio quoniam dulces retinentur amici.
 69 Ne dubita, cum magna petes, impendere parva :
 70 his etenim pressos contingit gloria raro.
 71 Litem inferre cave, cum quo tibi gratia juncta est :
 72 ira odium generat, concordia nutrit amorem.
 73 Servorum culpa cum te dolor urguet in iram,
 74 ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.
 75 Quem superare potes interdum vince ferendo ;
 76 maxima enim est hominum semper patientia virtus.
 77 Conserva potius, quae sunt jam parta, labore :
 78 cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.
 79 Dapsilis interdum notis et largus amicis
 80 cum fueris, dando semper tibi proximus esto.

LIBER II

C2_ v.1 Telluris si forte velis cognoscere cultus,
 2 Vergilium legito ; quodsi mage nosse laboras
 3 herbarum vires, Macer haec tibi carmina dicit ;
 4 si Romana cupis et Punica noscere bella,
 5 Lucanum quaeres, qui Martis proelia dixit ;
 6 si quid amare libet vel discere amare legendo,
 7 Nasonem petito ; sin autem cura tibi haec est,
 8 ut sapiens vivas, audi quae discere possis,
 9 per quae semotum vitiis deducitur aevum :
 10 ergo ades et quae sit sapientia disce legendo.
 11 Si potes, ignotis etiam prodesse memento :
 12 utilius regno est meritis acquirere amicos.
 13 An di sint caelumque regant, ne quaere doceri :
 14 cum sis mortalis, quae sunt mortalia cura.
 15 Linque metum leti ; nam stultum est tempore in omni,
 16 dum mortem metuas, amittere gaudia vitae.
 17 Iratus de re incerta contendere noli :
 18 impedit ira animum, ne possis cernere verum.
 19 Fac sumptum propere, cum res desiderat ipsa ;

20 dandum etenim est aliquid, dum tempus postulat aut res.
 21 Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento :
 22 tuta mage est puppis modico quae flumine fertur.
 23 Quod pudeat, socios prudens celare memcno,
 24 ne plures culpent id quod tibi displicet uni.
 25 Nolo putes pravos homines peccata lucrari :
 26 temporibus peccata latent, et tempore parent.
 27 Corporis exigui vires contemnere noli :
 28 consilio pollet cui vim natura negavit.
 29 Cui scievis non esse parem, pro tempore cede :
 30 victorem a victo superari saepe videmus.
 31 Adversum notum noli contendere verbis :
 32 lis verbis minimis interdum maxima crescit.
 33 Quid deus intendat, noli perquirere sorte :
 34 quid statuatur de te, sine te deliberat ille.
 35 Invidiam nimio cultu vitare memento :
 36 quae si non laedit, tamen hanc sufferre molestum est.
 37 Esto animo forti, cum sis damnatus inique :
 38 nemo diu gaudet qui iudice vincit iniquo.
 39 Litis praeteritae noli maledicta referre :
 40 post inimicitias iram meminisse malorum est.
 41 Nec te collaudes nec te culpaveris ipse ;
 42 hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.
 43 Utere quaesitis modice : cum sumptus abundat,
 44 labitur exiguo quod partum est tempore longo.
 45 Insipiens esto, cum tempus postulat aut res :
 46 stultitiam simulare loco, prudentia summa est.
 47 Luxuriam fugito, simul et vitare memento
 48 crimen avaritiae ; nam sunt contraria famae.
 49 Nolito quaedam referenti credere saepe :
 50 exigua est tribuenda fides, qui multa loquuntur.
 51 Quae potus peccas ignoscere tu tibi noli ;
 52 nam crimen vini nullum est, sed culpa bibentis.
 53 Consilium arcanum tacito committe sodali,
 54 corporis auxilium medico committe fideli.
 55 Successu indignos noli tu ferre moleste :
 56 indulget Fortuna malis, ut vincere possit.
 57 Prospice qui veniant casus hos esse ferendos :
 58 nam levius laedit, quicquid praevideamus ante.
 59 Rebus in adversis animum submittere noli :
 60 spem retine ; spes una hominem nec morte relinquit.
 61 Rem tibi quam nosces aptam dimittere noli :
 62 fronte capillata, post est Occasio calva.
 63 Quod sequitur specta quodque imminet ante videto :
 64 illum imitare deum, partem qui spectat utramque.
 65 Fortius ut valeas, interdum parcior esto :
 66 pauca voluptati debentur, plura saluti.
 67 Iudicium populi numquam contempseris unus :
 68 ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.
 69 Sit tibi praecipue, quod primum est, cura salutis ;
 70 tempora nec culpes, cum sis tibi causa doloris.
 71 Somnia ne cures ; nam mens humana quod optat,
 72 dum vigilans sperat, per somnum cernit id ipsum.

LIBER III

2 cum praecepta ferat quae sunt gratissima vitae,
 3 commoda multa feret ; sin autem spreverit illud,
 4 non me scriptorem, sed se fastidiet ipse.
 5 Instrue praeceptis animum, ne discere cessa ;
 6 nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.
 7 Cum recte vivas, ne cures verba malorum :
 8 arbitrii non est nostri quid quisque loquatur.
 9 Productus testis, salvo tamen ante pudore,
 10 quantumcumque potes, celato crimen amici.
 11 Sermones blandos blaesosque cavere memento :
 12 simplicitas veri forma est, laus ficta loquentis.
 13 Segnitiam fugito, quae vitae ignavia fertur ;
 14 nam cum animus languet, consumit inertia corpus.
 15 Interpone tuis interdum gaudia curis,
 16 ut possis animo quemvis sufferre laborem.
 17 Alterius dictum aut factum ne carpseris umquam,
 18 exemplo simili ne te derideat alter.
 19 Quod tibi sors dederit tabulis suprema notato,
 20 augendo serva, ne sis quem faraa loquatur.
 21 Cum tibi divitiae superant in fine senectae,
 22 munificus facito vivas, non parcus, amicis.
 23 Utile consilium dominus ne despice servi :
 24 si prodest, sensum nullius tempseris umquam.
 25 Rebus et in censu si non est quod fuit ante,
 26 fac vivas contentus eo quod tempora praebent.
 27 Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis,
 28 nec retinere velis, si coeperit esse molesta.
 29 Multorum disce exemplo, quae facta sequaris,
 30 quae fugias : vita est nobis aliena magistra.
 31 Quod potes id temptato, operis ne pondere pressus
 32 succumbat labor et frustra temptata relinquas.
 33 Quod factum scis non recte, nolito silere,
 34 ne videre malos imitari velle tacendo.
 35 Iudicis auxilium sub iniqua lite rogato :
 36 ipsae etiam leges cupiunt ut jure regantur.
 37 Quod merito pateris patienter ferre memento,
 38 cumque reus tibi sis, ipsum te iudice damna.
 39 Multa legas facito, perlectis neglege multa ;
 40 nam miranda canunt, sed non credenda poetae.
 41 Inter convivas fac sis sermone modestus,
 42 ne dicare loquax, cum vis urbanus haberi.
 43 Conjugis iratae noli tu verba timere ;
 44 nam lacrimis struit insidias, cum femina plorat.
 45 Utere quaesitis, sed ne videaris abuti :
 46 qui sua consumunt, cum dest, aliena sequuntur.
 47 Fac tibi proponas mortem non esse timendam :
 48 quae bona si non est, finis tamen illa malorum est.
 49 Uxoris linguam, si frugi est, ferre memento ;
 50 namque malum est non velle pati nec
 51 Aequa diligito caros pietate parentes,
 52 nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

LIBER IV

C4_ v.1 Semotam a curis si vis producere vitam
 2 nec vitiis haerere animi, quae moribus obsunt,

3 haec praecepta tibi saepe esse legenda memento :
4 invenies, quo te possis mutare, magistrum.
5 Despice divitias, si vis animo esse beatus ;
6 quas qui suspiciunt, mendicant semper avari.
7 Commoda Naturae nullo tibi tempore derunt,
8 si contentus eo fueris quod postulat usus.
9 Cum sis incautus nec rem ratione gubernes,
10 noli Fortunam, quae non est, dicere caecam.
11 Dilige te ornari, sed parce dilige formam,
12 quam nemo sanctus nec honestus captat habere.
13 Cum fueris locuples, corpus curare memento :
14 aeger dives habet nummos, se non habet ipsum.
15 Verbera cum tuleris discens aliquando magistri,
16 fer patris imperium, cum verbis exit in iram.
17 Res age quae prosunt ; rursus vitare memento,
18 in quis error inest nec spes est certa laboris.
19 Quod donare potes gratis concede roganti ;
20 nam recte fecisse bonis in parte lucrorum est.
21 Quod tibi suspectum est confestim discute quid sit ;
22 namque solent, primo quae sunt neglecta, nocere.
23 Cum te detineat veneris damnosa libido,
24 indulgere gulae noli, quae ventris amica est.
25 Cum tibi praeponas animalia bruta timore,
26 unum hominem scito tibi praecipue esse timendum.
27 Cum tibi praevalidae fuerint in corpore vires,
28 fac sapias : sic tu poteris vir fortis haberi.
29 Auxilium a notis petito, si forte labores ;
30 nec quisquam melior medicus quam fldus amicus.
31 Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te ?
32 Stultitia est morte alterius sperare salutem.
33 Cum tibi vel socium vel fidum quaeris amicum,
34 non tibi fortuna est hominis sed vita petenda.
35 Utere quaesitis opibus, fuge nomen avari :
36 quid tibi divitiae, si semper pauper abundes ?
37 Si famam servare cupis, dum vivis, honestam,
38 fac fugias animo quae sunt mala gaudia vitae.
39 Cum sapias animo, noli ridere senectam ;
40 nam quocumque seni puerilis sensus inhaeret.
41 Disce aliquid ; narn cum subito Fortuna recessit,
42 ars remanet vitamque hominis non deserit umquam.
43 Prospicito tecum tacitus quid quisque loquatur :
44 sermo hominum mores et celat et indicat idem.
45 Exerce studio quamvis perceperis artem :
46 ut cura ingenium, sic et manus adjuvat usum.
47 Multum venturi ne cures tempora fati :
48 non metuit mortem qui scit contemnere vitam.
49 Disce sed a doctis, indoctos ipse doceto :
50 propaganda etenim est rerum doctrina bonarum.
51 Hoc bibe quo possis si tu vis vivere sanus :
52 morbi causa mali minima est quaecumque voluptas.
53 laudaris quodcumque palam, quodcumque probaris,
54 hoc vide ne rursus levitatis crimine damnes.
55 Tranquillis rebus semper diversa timeto,
56 rursus in adversis melius sperare memento.
57 Discere ne cessa : cura sapientia crescit,
58 rara datur longo prudentia temporis usu.
59 Parce laudato ; nam quem tu saepe probaris,
60 una dies, qualis fuerit, ostendit, amicus.

61 Non pudeat, quae nescieris, te velle doceri :
 62 scire aliquid laus est, culpa est nil discere velle.
 63 Cum venere et baccho lis est et juncta voluptas :
 64 quod lautum est animo complectere, sed fuge lites.
 65 Demissos animo et tacitos vitare memento :
 66 quod flumen placidum est, forsán latet altius unda.
 67 Dum fortuna tibi est rerum discrimine prava,
 68 alterius specta cui sit discrimine pejor.
 69 Quod potes id tempta ; nam litus carpere remis
 70 utilius multo est quam velum tendere in altum.
 71 Contra hominem justum prave contendere noli ;
 72 semper enim deus injustas ulciscitur iras.
 73 Ereptis opibus noli maerere dolendo,
 74 sed gaude potius, tibi si contingat habere.
 75 Est jactura gravis quaesitum amittere damno ;
 76 sed tibi cum valeat corpus, superesse putato.
 77 Tempora longa tibi noli promittere vitae :
 78 quocumque incedis, sequitur Mors corporis umbra.
 79 Ture deum placa, vitulum sine crescat aratro :
 80 ne credas gaudere deum, cum caede litatur.
 81 Cede locum laesus Fortunae, cede potenti :
 82 laedere qui (potuit) poterit prodesse aliquando.
 83 Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde :
 84 vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.
 85 Damnaris numquam post longum tempus amicum :
 86 mutavit mores, sed pignora prima memento.
 87 Gratior officiis, quo sis mage carior, esto,
 88 ne nomen subeas quod dicunt officipeudi.
 89 Suspectus cave sis, ne sis miser omnibus horis ;
 90 nam timidis et suspectis aptissima mors est.
 91 Cum servos fueris proprios mercatus in usus
 92 et famulos dicas, homines tamen esse memento.
 93 Quam primum rapienda tibi est occasio prona,
 94 ne rursus quaeras jam quae neglexeris ante.
 95 Morte repentina noli gaudere malorum :
 96 felices obeunt quorum sine crimine vita est.
 97 Cum conjunx tibi sit, ne res et fama laboret,
 98 vitandum ducas inimicum nomen amici.
 99 Cum tibi contigerit studio oognoscere multa,
 100 fao discas multa a vita te scire doceri.
 101 Miraris versus nudis me scribere verbis ?
 102 Hoc brevitatis fecit, sensu uno jungere binos.

ALIA CATONIS OPERA (183 vers)

CODICUM TURICENSIS ET VERONENSIS APPENDIX

v.1 Laetandum est vita, nullius morte dolendum ;
 2 cur etenim doleas a quo dolor ipse recessit.
 3 Quod scieris opus esse tibi, dimittere noli ;
 4 oblatum auxitium stultum est dimittere cuiquam.
 5 Perde semel, socium ingratum quom noveris esse ;
 6 saepe dato, quom te scieris bene ponere dona.

7 Dissimula laesus, si non datur ultio praesens :
 8 qui celare potest odium pote laedere quem vult.
 9 Qui prodesse potest non est fugiendus amicus,
 10 si laesit verbo : bonitas sine crimine nil est.
 11 Contra hominem astutum noli versutus haberi :
 12 non captare malos stultum est, sed velle cluere.
 13 Dat legem Natura tibi, non accipit ipsa.
 14 Quod tacitum esse velis verbosis dicere noli.
 15 Fortunae donis parvum tribuisse memento :
 16 non opibus bona fama datur, sed moribus ipsis.

COLLECTIO MONOSTICHORUM

v.1 Utilibus monitis prudens accommodet aurem.
 2 Non laeta extollant animum, non tristia frangant.
 3 Dispar vivendi ratio est, mors omnibus una.
 4 Grande aliquid caveas timido committere cordi.
 5 Numquam sanantur deformis vulnera famae.
 6 Naufragium rerum est mulier male fida marito.
 7 Tu si animo regeris, rex es ; si corpore, servus.
 8 Proximus esto bonis, si non potes optimus esse.
 9 Nullus tam parcus, quin prodigus ex alieno.
 10 Audit quod non vult, qui pergat dicere quod vult.
 11 Non placet ille mihi, quisquis placuit sibi multum.
 12 Nulli servitium si defers, liber haberis.
 13 Vel bona contemni docet usus vel mala ferri.
 14 Ex igne ut fumus, sic fama ex crimine surgit.
 15 Paulisper laxatus amor decedere coepit.
 16 Splendor opum sordes vitae non abluit umquam.
 17 Improbis officium scit poscere, reddere nescit.
 18 Irridens miserum dubium sciat omne futurum.
 19 Mortis imago juvat somnus, mors ipsa timetur.
 20 Quanto major eris, tanto moderatior esto.
 21 Alta cadunt odiis, parva extolluntur amore.
 22 Criminis indultu secunda audacia crescit.
 23 Quemlibet ignavum facit indignatio fortem.
 24 Divitiae trepidant, paupertas libera res est.
 25 Haut homo culpandus, quando est in crimine casus.
 26 Fac quod te par sit, non alter quod mereatur.
 27 Dissimilis cunctis vox vultus vita voluntas.
 28 Ipsum se cruciat, te vindicat invidus in se.
 29 Semper pauperies quaestum praedivitis auget.
 30 Magno perficitur discrimine res memoranda.
 31 Terra omnis patria est, qua nascimur et tumulamur.
 32 Aspera perpessu fiunt jucunda relatu.
 33 Acrius appetimus nova quam jam parta tenemus.
 34 Labitur ex animo benefactum, injuria durat.
 35 Tolle mali testes : levius mala nostra feremus.
 36 Saepe labor siccat lacrimas et gaudia fundit.
 37 Tristibus afficiat gravius, si laeta recorder.
 38 Quid cautus caveas aliena exempla docebunt.
 39 Condit fercla fames, plenis insuavia cuncta.
 40 Doctrina est fructus dulcis radicis amarae.
 41 Cum accusas alium, propriam prius inspice vitam.
 42 Qui vinci sese patitur pro tempore, vincit.

43 Dum speras, servis, cum sint data praemia sensis.
 44 Nemo ita despectus, quin possit laedere laesus.
 45 Ille nocet gravius quem non contemnere possis.
 46 Quod metuis cumulas, si velas crimine crimen.
 47 Consilii regimen virtuti corporis adde.
 48 Cum vitia alterius satis acri lumine cernas
 49 nec tua prospicias, fis verso crimine caecus.
 50 Suffragium laudis quod fert malus, hoc bonus odit.
 51 Si piget admissi, committere parce pigenda.
 52 Quod nocet interdum, si prodest, ferre memento :
 53 dulcis enim labor est, cum fructu ferre laborem.
 54 [Laetandum est vita, nullius morte dolendum ;
 55 cur etenim doleas, a quo dolor ipse recessit ?]
 56 Spes facit illecebras visuque libido movetur.
 57 Non facit ipse aeger quod sanus suaserit aegro.
 58 Ipsos absentes inimicos laedere noli.
 59 Ulcus proserpit quod stulta silentia celant.
 60 Nemo reum faciet qui vult dici sibi verum.
 61 Vincere velle tuos satis est victoria turpis.
 62 Nonnumquam vultu tegitur mens taetra sereno.
 63 Quisque miser casu alterius solatia sumit.
 64 Vera libens dicas, quamquam sint aspera dictu.
 65 Vir constans quicquid coepit complere laborat.
 66 Injustus, qui sola putat proba quae facit ipse.
 67 Omne manu factum consumit longa vetustas.
 68 Haut multum tempus mentis simulata manebunt.
 69 Quicquid inoptatum cadit, hoc homo corrigat arte.
 70 Durum etiam facilem facit adsuetudo laborem.
 71 Robur confirmat labor, at longa otia solvunt.
 72 Ut niteat virtus, absit rubigo quietis.
 73 Sat dulcis labor est, cum fructu ferre laborem.
 74 Magni magna parant, raodici breviora labovant.
 75 Ne crede amissum, quicquid reparare licebit.
 76 Non pecces tunc cum peccare impune licebit.
 77 Tristis adest messis, si cessat laeta voluptas.
 78 Absentum causas contra maledicta tuere.

EX COLUMBANO QUAE VIDENTUR CATONIS ESSE

v.1 Corporis exsuperat vires prudentia mentis.
 2 Ne tua paeniteat caveas victoria temet.
 3 Vir bonus esse nequit nisi qui siet omnibus aequus.
 4 Non tu quaeso jocis laedas nec carmine quemquam.
 5 Sit servus mentis venter, sit serva libido.
 6 Eripe, si valeas, non suggere tela furenti.
 7 Saepe nocet puero miratio blanda magistri.
 8 Cum sapiente loquens perpaucis utere verbis.
 9 Egregios faciet mentis constantia mores.
 10 Felix, qui causam loquitur prudentis in aurem.
 11 Tantum verba valent, quantum mens sentiat illa.
 12 Non erit antiquo novus anteferendus amicus.
 13 Moribus egregiis facias tibi nomen honestum.
 14 Cui prodest socius qui non prodesse probatur ?
 15 Res se vera quidem scmpet declarat honeste.
 16 Actibus aut verbis noli tu adsuescere pravis.

17 Praemeditata animo levius sufferre valebis.
 18 Quae subito adveniunt multo graviora videntur.
 19 Felix, alterius cui sunt documenta flagella.
 20 Praemia non capiet, ingrato qui bona praestat.
 21 Omnis paulatim leto nos applicat hora.
 22 Ante diem mortis nullus laudabilis exstat.
 23 Doctor erit magnus, factis qui quod docet implet.
 24 Quod tibi vis fieri, hoc alii praestare memento.
 25 Quod tibi non optes, alii ne feceris ulli.
 26 Corripe prudentem : reddetur gratia verbis.
 27 Plus tua quam alterius damnabis crimina iudex.
 28 Sis bonus idque bonis, laesus nec laede nocentem.
 29 Vir prudens animo est melior quam fortis in armis.
 30 Divitias animo injustas attendere noli.
 31 Semper avarus amat mendacia furta rapinas.
 32 Invidiae maculat famam mala pestis honestam.
 33 Nil sine consilio facias : sic facta pvobantur.
 34 Instanter facias, sors quae tibi tradat agenda.
 35 Improperes numquam, dederis munuscula si qua.
 36 Omnia pertractet primum mens verba loquelae.
 37 Sic novus atque novum vinum veterascat amicus.
 38 Alma dies noctem sequitur somnosque labores.
 39 Tempora dum variant, animus sit semper honestus.
 40 Corripe peccantem, noli at dimittere, amicum.
 41 Observat sapiens sibi tempus in ore loquendi ;
 42 insipiens loquitur spretum sine tempore verbum.
 43 Jam magnum reddis modico tu munus amico,
 44 si ipsum ut amicus amas : amor est pretiosior auro.
 45 Dives erit semper, dure qui operatur in agro.
 46 Otia qui sequitur, veniet huic semper egestas.
 47 Omnibus est opibus melior vir mente fidelis.
 48 Qui bona sectatur prima bene surgit in hora.
 49 Multorum profert sapientis lingua salutem.
 50 Hostili in bello dominatur dextera fortis.
 51 Lingua ligata tibi multos acquirit amicos.
 52 Diligit hic natum, virga qui corripit illum.

CATONIS DE MUSIS VERSUS

v.1 CLIO gesta canens transactis tempora reddit.
 2 Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urguet.
 3 Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
 4 Melpomene tragico proclamat maesta boatu.
 5 Terpsichore affectus citharis movet impetrat auget.
 6 Plectra gerens Erato saltat pede carmine vultu.
 7 Signat cuncta manu loquiturque Polymnia gestu.
 8 Urania (arce) poli motus scrutatur et astra.
 9 Carmina Calliope libris heroica mandat.
 10 Mentis Apollineae vis has movet undique Musas,
 11 in medioque sedens complectitur omnia Phoebus.

EPITAPHIUM VITALIS MIMI

v.1 QUID tibi, Mors, faciam, quae nulli parcere nosti ?

2 Nescis laetitiam, nescis amare jocos.
3 His ego praevalui toto notissimus orbi,
4 hinc mihi larga domus, hinc mihi census erat.
5 Gaudebam semper. Quid enim, si gaudia desint,
6 Hic vagus ac fallax utile mundus habet ?
7 Me viso rabidi subito cecidere furores ;
8 ridebat summus me veniente dolor.
9 Non licuit quemquam curis murdacibus uri
10 nec rerum incerta mobilitate trahi.
11 Vincebat cunctos praesentia nostra timores
12 et mecum felix quaelibet hora fuit.
13 Motibus ac dictis, tragica quoque veste placebam
14 exhilarans variis tristia corda modis.
15 Fingebam vultus, habitus ac verba loquentum,
16 ut plures uno crederes ore loqui.
17 Ipse etiam, quem nostra oculis geminabat imago,
18 horruit in vultus se magis isse meos.
19 O quotiens imitata meos per femina gestus
20 vidit et erubuit totaque muta fuit !
21 Ergo quot in nostro vivebant corpore formae,
22 tot mecum raptas abstulit atra dies.
23 Quo vos jam tristi turbatus deprecor ore,
24 qui titulum legitis cum pietate meum :
25 "O quam laetus eras, Vitalis " dicite maestis,
26 "sint tibi di tali, sint tibi fata modo ! "